10

8

Maximiliani Murenae
Praefecti Rei Maritimae
VITA



NICOL. EVGENIO ANGELIO V. CL.

I. VINCENTIVS MEOLA

S. P. D.

SI quæ sunt amicitiæ vires, eae profecto sunt; quibus, ultra cineres manesque sepultos, amici nomen cordi insideat, in ore vigeat, monumento per nos aliquo in posterum perennet. Exinde factum est, Angeli optime, ut hujusmodi breve Commentarium ederem, in quo quidquid laudis commendationisque debitum Maximil. Murenæ nomini rerer, pro virili conarer adscribere. Atque, o utinam! quod a me valde expetitum est, alii fecissent, vel Tute ipse procurasses, si per incredibilem animi ægritudinem, quam in Amici benemerentissimi morte conceperas, perque muneris tui quam operosissimi molestias licuisset; ut justo laudatore non egeret adhuc vir eximius, atque omni tempore celebrandus. Hoc vero ipsum in causa fuit, cur ad te potius, quam ad alium quemquam de Murenæ amicis illud mitterem, ut excusare, ac tueri ab invidorum morsu, cum ipso scriptore, valeres. Nam ego, quantum in me est, nullam mihi laudem sumo (nec si qua est ulla bene, apteque dicendi); modo historici, atque amici benemerentis pro ratione partes adimpleam. Vale, meque, ut facis, ama; quandoquidem amicitia tua, ut hominis virtute præstantissimi, immortaliter gaudeo. Vale. VI. *Kal. Nov.* MDCCLXXXI.

Ma-

MAximilianus, Ferdin. F. Murena Solofrae natus est an. circiter MDCCXXXII. Puer adhuc Neapolim, una cum fratre, nomine Io: Petro, ut literis operam daret, a patre deductus est. Is, ut accepimus, iuris erat peritissimus, vir antiqua fide, & moribus; nec nimis in liberos indulgens. Per triennium, ne in magno urbis strepitu, ignari quo se verterent, liberi urbanis mage vitiis abriperentur, quam virtutibus invitari possent, dux eis, & tutela esse voluit. Principio puer frequentissime objurgatus a patre, quod calidis esset animis, literisque non eam navaret diligentiam, qualem exemplo suo frater natu major praemonstrabat; repente adeo earum studio flagravit, tantoque animi impetu supra ingenii vires incubuit, ut excreatione cruenta primum laboraret. Quare statim ei patriam sedem repetere opus fuit ad nativum aërem respirandum, quo defatigati corporis, & animi vires reficeret, posthabitis omnino libris. Ibidemque, natura, quae monstrosa esse solet, plurimum juvante, quidquid venefici humoris sanguinem infecerat per insolentem tumorem sub dextra coxendice enatum, sponteque fatiscentem post annum diffluxit: ob eamque rem valetudine non solum substentata, sed etiam prosperrima uti coepit, urbemque remigravit.

II. Ut autem ad literarum studia IV. aut V. ad usque annum aetatis suae supra X. retardatus fuerat; sic incitatiore gradu ad eas magno haustu imbibendas se contulit. Florebat eo tempore urbs nostra omne genus disciplinis, cum Carolus, nunc Hispaniarum Rex Pius Felix Aug. positis modo armis, ad pacis artes restaurandas totum intendebat animum. Namque Academia, quam Re-

giorum studiorum universitatem dicunt, Caelestino Galiano antistite, qui eam nuper instaurarat, magnae famae viris apud exteras etiam nationes praepollebat. Forum magistratibus sapientissimis, causarumque patronis disertissimis clarius explendescebat. Ars medica doctissimis antistalat viris. Reliquae, item pictura, musice, poësis, sculptura praesertim, quae in aeneis tabulis effigies repraesentat; sive veterem receperant, sive novum acquisiverant nitorem. Novae sternebantur viae: villae Regiae ad aevitatem saeculorum extruebantur: theatra, pontes, portus: obrutae insuper urbes olim Vesevi egestionibus dissepeliebantur: milites tum numero, tum sanctiori disciplina, cum etiam ducibus fortissimis aucti, iisque Mathematices peritissimis; ut quisque non ineptus homo in magnam spem augendi opes perinde, ac dignitatem suam se erigeret; atque ad grandia publici, privatique splendoris exempla contenderet.

III. Inter alios ea tempestate doctos viros eminebat Ant. Ienuensis in Theologicis scientiis magni quidem nominis, quem Murenae fratres adierunt. Alter, ut sibi convenientes literas, quoniam sacris erat addictus; alter, ut naturae & gentium praecipue jus addisceret. Ex eo vero ad publicae Academiae praeceptores Maximil. transivit; quorum opera Rom. juris, ac municipalis doctrina institutus est. Denique, ubi primum aetas epheborum curis, ac servitute praeceptorum soluta majoris admodum studii, et laboris fuit capax, non urbanis munditiis unice intentus, ut plerisque usuvenit adolescentibus, tempus in urbe trivit; verum in Foro versari statim, et forensibus exercitationibus in consessu juvenum cultissimorum, domi optimi cujusdam
viri

viri habito; quasi armorum ventilatione, caussarum patrocinio praeludere statuit. Neque ita suam in his curam locavit, ut actuosae vitae prorsus mancipatus contemplationi philosophiae tempus aliquod negaret. Noctu enim, diuque, si quid scitu dignum vel auribus accipere, vel cogitatione detegere ei contigisset, chartis illinire consuevit. Ita integrum ingenium adolescentis optimi inter artes bonas adolevit.

IV. Deinde, ut cum utilitate aliqua docti, probatique viri, cujus insisteret vestigiis ad Fori doctrinam adipiscendam, exemplum sibi proponeret Iac. Castellum virum clariss. secutus est, qui non multo postea magistratu auctoratus est. Hic qualis, quotusque vir superiore aetate extiterit, etsi nostri norunt omnes, ii praesertim, a quibus humanae literae excoluntur, nil tamen adeo gravitatem, sapientiamque ejus ostendit, quam Caroli Reg. aestimatoris judicium. Quum enim constituto illo sacratiore senatu ad novum legum codicem edendum (cujus a secretis erat Ios. Pasch. Cirillus juris supra omnes retro peritos peritissimus, idemque scriptor elegantissimus) e selectioribus Quinqueviris Castellum unum esse voluit. Qui, nescio quo fato, interceptus legum codex, prae omni alia hujusmodi rerum farragine in vulgus edita, doctorum, utinam, ad manus veniret! ut sapientissimorum hominum quidquid est ad publicam salutem excogitatum, jurisque municipalis ab antiquitate traditum uno in libro omnes, quod sparsum in multis erat, percurrerent. Ceterum domi hujus, docta cujus consuetudine vix facile dictu est, quantum ipse profecerit, quas noctes diei addere poterat, in naturalis Iurisprudentiae novo concipiendo systemate insumebat. Quare

re incalescens ab initio pectus justitiae studio lae-ctione postea, meditatione, atque exemplis ad id opportunissimis incoctum tandem retulit.

V. Interea forensibus negotiis distineri, ubi non sine famae incremento versabatur; sive de inter cives contentione libellos scriberet, sive perorationes in magno senatu haberet. Interdum, cum viri principes, maximeque advenae magni nominis ad videndas in iudiciis conflictantium turbas, demirandumque Fori strepitum, cum ipso iudiciorum ritu vere gravi, ac splendido adventarent, accidit, ut idem vocaretur ad dicendas ex temporo orationes in curia copiosas admodum, atque elegantes: qui quidem usus nostros apud multa cum laude invaluit. Hujusmodi rei testes mihi sunt locupletes probatissimi quidem viri, iidemque Murenae perorantis conjunctissimi. Quae tamen omnia, neque ei tempus adimere potuerunt, quominus *de Justitia naturali lib. III.* italica conceptos lingua, scriberet; eosque aliquot post annos typis vulgaret Simonianis an. nimirum MDCCLX. In his, praeter quae de veterum, recentiorumque philosophorum doctrina corrasit, ac de juris Rom. fonte derivavit, illud praecipua laude dignum Ant. Ienuensis praedicare solebat, nova quadam ratione eum de principio, ut ajunt, Naturae legis disseruisse.

VI. Sed antequam hujusmodi libros ederet, quod nitidissimis excudi formis curaverat, cum a politicorum statutis hausisset tum gloriae aditum bono civi patere opportune, cum virtutis monumento aliquo Regi innotescere studeret; ideo per supplicem libellum exorare, ut illos Ferdinando Regi N. Pientiss. tunc puero, dantique operam literis politioribus, inscribi liceret. Praesidebat autem per id

id temporis rebus hisce primus a Consiliis Regis, atque a Secretis Bernardus Tanusius, vir utique literatissimus, cujus arbitrio res Neap. literaria fere universa transigebatur. Hic, ne quid Regiae Majestatis indignum, ejus nomine in lucem prodiret, ad trutinam antea revocandum quemque librum censuerat a summo, doctoque viro, ab eodemque probandum. Quare ad Nicol. Fraggiannium, e Quinqueviris supremi senatus, virum Celeberrimum, sapientiaeque ad instar factum, delatum est hujusmodi judicium, an ejus libros Regi fas esset inscribi. Sed hic asperis persaepe moribus in extrema aetate erat; fortasse, quia fortunae, prae meritis sine dubio innumeris, iniquioris pertaesus esset. Nihilosecius, ut libros non solum evolvit, sed etiam sedulo rimavit, revocatis, puto, in mentem disciplinis, quos Vindobonae adolescens ipse, florente tum divino Leibnitio, pertractaverat, scriptori facillimum se praebuit. Praeterea laetatus est magnopere eum, si non ex omni terra Italia, certe primum de nostris naturalis Iurisprudentiae vulgarem instituisse tractationem. Atque ita ad Regem retulit tam magnifice de libris ipsis, tamque honorificenter de auctore, ut nil supra foret expetendum. Verum ei venia a Tanusio, post multas in annum, quas huc, illuc susceperat concursationes, denegata tandem fuit. Res haud memorabilis per se, nisi documento fuerit plerisque demirandi virum, ut dictum est, literatissimum poëne in eo fuisse studio, ut doctrina claros homines a Rege procul arceret.

VII. Sed adversante ab initio fortuna frangi animus ei nunquam potuit, quin laudis studia, & literati nominis abjiceret; etsi libri sine ullo principis

cipis honestamento nominis, uti solet, in publicum dati sint an. MDCCLXI. Atque ab eo tempore, praeter Regii nominis dignitatem, quam nequiit indipiscere, omne aliud ornamentum neglexit librorum, quotquot inde foras emisit, in fronte retinere. Interea famae, ac fortunae forensi velificare amplius, ad quam multae initae ab eo Magistratuum praecipuorum amicitiae, sicut Fraggiannii, Turitti Ducis Caravitae, Castelli sui, Dominici Marchionis Caraccioli, nunc singulari virtute in Siciliae Regno regias gerentis vices, aliorumque in civitate primorum. Sed importunum Fraggiannii funus, biennio post, ad *Orationem* scribendam eum adegit, cum qua grati animi significationem palam faceret. Atque ea, quotquot in urbe florerent, doctis viris incitamento fuit, ut carminibus doctrinam, fidem, justitiam viri concelebrarent, quae in unum veluti corpus cum Oratione sua redacta, librum constituerunt lectu jucundissimum. Hic nitidis etiam typis sua cura editus est an. MDCCLXIII. Adeo is amicitiae vinculis obstrictus liberali in eam animo exarsit.

VIII. Quam ob causam etiam, atque etiam inclarescere, summosque apud civitatis viros majori laude increbescere coepit adeo, ut praedicari apud Carolum Demarco alium a Secretis Regis, multumque de integritate morum, doctrina, ac fide collaudari, insperato etiam, ei successerit. Atque hic est Marchio Carolus Demarco tantae sapientiae, ac justitiae nomine celebratus, omni civium ordini in tanto dignitatis fastigio, sine exemplo fortasse, carus; qui cum olim in vitae discrimen venisset, publicis privatisque initis supplicationibus, miraculo fere est in vitam revocatus: idemque multo favore

vore constantissime prosecutus est doctos, literatosque homines Foro in primis addictos; unde non paucos inter Sacri Scrinii Libellenses accivit. Itaque statim, singulari laudis accessione facta, ad eam dignitatem Maximil. Regio nomine vocatus est an. MDCCLXIV. Ad quam invitus principio accessit eo, quod insitae diurnae, nocturnaeque scriptionis molestiae essent, lectionis aeque inficetissimae libellorum tamquam imbrium in dies confluentium (per quos de vi, furto, invidiis, usurpationibus, injuriisque omne genus aliis ad Regem defertur); nil aliud pertimescens, quam a contemplatione philosophiae, atque ab incohato cursu gloriae semoveri. Nihilominús, utut ei licebat, spatium horae ad reliquas pertractati juris partes excolendas, quas nullo modo editione illa librorum suorum quiverat comprehendere tamen surripiebat.

IX. Sed jam nova sanguinis excreatione conflictatus ab his studiis tantisper se continuit, nec tamen a sui muneris officio unquam destitit: praecipua cura, ac diligentia ad id servatis medicorum praeceptis. Exinde vero, ut valetudine denuo constitit, quam promisit, partem aliam iurisprudentiae naturalis variis dispertitam diatribis persolvit. Eaque agmen duxit, quae *de generibus vis publicae, privataeque* inscribitur; continetque commentarium fere legum Iuliarum, consilii plenum, & gravitatis. In ea igitur de jure belli cum certa, tum dubia de causa inferendi agit, ac de illo, per quod quisque eo in loco continere se possit, unde neutrius bellantium partis studio addici velit, neve teneatur; item de obsidibus, captivisque; postremo vero de singulari certamine, quod Itali *duellum* vocant: denique de privati hominis defensione. Sta-

timque adjecit aliam *de Officio Iudicis* disceptationem non minus brevitate quam perspicuitate praestantem; quibus ingenii dotibus dicendo, scribendoque mirum in modum sui temporis omnes anteivit. Qui quidem libri a doctis tanta laudis opinione domi, forisque excepti sunt, ut, quo communi eorum desiderio fieret satis, denuo recudi opus fuerit.

X. Nec tamen his sibi satisfecisse visus est; namque, ut in privata vita fere omne suum tempus amicorum temporibus transmittendum putavit, sic scribendo, edocendoque Reipublicae bono unice studere animum intendit. Quod est plane indicium liberalitatis item, ac magnanimitatis. Et quoniam in libris *de Iustit. natural.* abunde docuerat eos esse jurisperitos, quibus reipublicae disciplina, & morum quasi virga censoria, concredita sit; eosque unos, quos (ut olim augures, haruspices, pontificesque) in moderando imperio Reges oporteat opportune monere: ideo id sibi, pro sua studiorum ratione, praeter ullius offensam, arbitratus est non dedecere, si regulas conscriberet de principatu modestia, temperantiaque plenas. Ad easque viam munire posse putavit alicujus fortissimi, ac sapientissimi inter nostros regis exemplum; quam ob causam, quia videbatur Roberti Regis olim Neapolitanorum, Andegavensis vita a nostris, atque externarum pariter historiarum scriptoribus haud, qua par erat, fide, nec pro incredibili optimi principis virtute descripta esse, variisque praeterea libris dicta, factaque ejus dispersa, nil opportunius fieri posse duxit, quam in unum omnia colligere: non sine iis thesibus, quae & politicae sunt, & temporum horum. Itaque commentarium

Ita-

Italice annalium forma, accurata quidem ſupputatione, ſcripſit *de Roberti Rebus geſtis* magnae utilitatis, in quo inſtar Regiae virtutis ineſſet; unde ei praecepta de Officio Principis plane, dilucideque eſſent deducenda.

XI. In eo illud non eſt ſilentio praetereundum, quod de noſtris antiquitatibus originem magiſtratuum, aliarumque dignitatum, quae pro temporum vice, re quidem intacta, diverſo tamen nomine donata ſunt, elucidaverit. Ibique de origine ac dignitate Sacri Scrinii Libellenſium, quod munus tunc idem exercebat, quam multa docet aeque, atque in libris *de Iuſt. nat.* de Iuriſconſultorum munere feciſſe oſtendimus. Ut certo ſcias exemplo ejus, niſi tu tuum tibi vindices, neminem eſſe, qui libenter, ac pro ratione, illud tribuere tibi velit; pariterque tantum decoris in rebus, muneribuſque ineſſe, quantum eis propria virtute concedas, & pro rei veritate propugnes. Atque id fortaſſe in cauſa fuit, cur is de more oppreſſus invidia, nequiit iam typis [illegible]mniode excuſum ab an. MDCCLXX. librum luci tradere, atque in vulgus edere; qui; tamen nunc proſtat venalis. Neque alia de re, quam adumbraverat de principatu librum alium, deductis a Roberti rebus geſtis iis regulis, quae locorum, populorumque hujus regni rationibus accomodata eſſent, publicae lucis uſura interdictus eſt. Incertum reſpuenti Tanuſio tribuendum hoc ſit an ali (ut rumor exiit eo tempore inter cives), cujus judicio in his rebus, & conſuetudine quam familiariſſime utebatur ille.

XII. Quare nominis defenſionem ſui, credo, eum ſuſcipere voluiſſe, quae bono viro, doctoque patebat, cum ſcriberet *de Honoris Iuribus* opuſcu-

 lum

lum, pari quoque laude a doctis exceptum. an. MDCCLXXIII. In quo videtur idem illud uberius explicare argumentum, quod in fine lib. III. *de Iust. nat.* attigerat; quo loci de ferenda, ac retribuenda aestimatione, famaque civili documenta quaedam carptim tradere studuit. Hic igitur ea habes gravi homine digna, atque ad veterum, recentiorumque philosophorum mentem, quibus haeresi nobilium vulgari pro moderatione justi, sapientisque viri adversetur; nec minus ferocienti eorum dementiae, qui in civitate munera exercent praecipua, ideoque omnia se scire profitentur. Namque hi saepe ad illustres, popularesque laudes suas, omnes etiam minus notas aliorum minusque pervulgatas, quasi jure suo, sibi volunt adjungere. Praeterea in hoc libro invenies plurima historiarum maxime externarum lectissima, quae ad rem optime faciunt, praeter ea, quae ab antiquitate deduxit: multaque alia scite animadversa ad damnandos nostrorum mores, quos invaluisse jamdiu, citra rectae rationis normam, cum bonis dolemus.

XIII. Interea vero mira animi constantia usus ipse, qui prae vulgari gloria, una Regis institutione (cujus ad summam indolem accedebat tunc literarum disciplina) populos ad expetitam omnino felicitatem perduci exoptaverat; quo se magis a Rege propulsari novit, sic novo semper virtutis momento propius accedere contendebat. Quod accidit insecutis temporibus, scriptis italice *Orationibus ad Ferdinandum* IV. *Regem Neap.* ejusque Conjugem suavissimam *M. Carolinam Reginam* N. quae vere corculum, ac deliciae Neapolitanae gentis dici potest. In his multa de imperii ratione ad normam philosophorum magis, quam politicorum concin-

cinnata, aliquo velut involucro tecta, diffundit; praeter inusitatam in eos, quam ostendit, caritatem. Quare illud inopportunum meminisse non existimo, eum adeo Regum nostrorum gloriae studiosum vitam vixisse, praesertimque Austriacae domus famae cupidum, ut non in terra Italia natus videretur; sed eas inter gentes, quae superstitioné aliqua reges colunt, eosque benevolentia prorsus incredibili prosecuntur.

XIV. Nil mirum igitur, si postquam Reginae munificentissimae coepit innotescere, ac per amicos optimos apud eam multis virtutibus celebrari, tantae Dominae patrocinium mereretur. Quo factum est, ut cum inter Sacri Scrinii Libellenses, qui ceteris praeerat, ad novam dignitatem evectus loco cessisset suo; ipse nonnullos temporis praerogativa sibi anteferendos, inscius omnino, superarit. Ad quam rem potentiorum ex amicis suffragium nullum adhibuisse testes sumus, ut nullo modo unquam de ambitu criminandus sit; sed acceptum referre debuerit virtuti suae, virtutisque nomini. Namque eum priva liberalitate ductus Tanusius, quî cum nulla unquam intercesserat amicitia, inconspectu Regis extulit, summisque laudibus cumulavit; quod vulgatum tunc inter omnes fuit, nec sine tanti beneficii, & celebrati viri nominis invidia praeteriri posset. Verum id eo plane puncto temporis accidit, quo moestissimus ipse immaturam defleret cubicularii sui, hominis fidelissimi, mortem. Quare rerum humanarum pertaesus potius, quam novae dignitatis laetitia perfusus, ad scribendam incitatus est *Panegyricam de veritate*, & *encomio Religionis Christianae Orationem* diffusam quidem, pientissimamque ad an. MDCCLXXVI. quae non

non multo post praelis denuo subacta est. Hac Oratione, dicere solebat, finem scribendi jam fecisse, calamumque, qua erat in Deum pietate, Deo opt. max. extremum suspendisse.

XV. Dum haec ab eo fierent, multaque alia in exercendo munere, ut pote, a quo summa religio adhiberetur, ne Regis scita ante tempus palam fieri possent; interea Rex providentissimus Algerino bello, ac navali peritia celeberrimum Equitem Io: Baptistam Acton ex Hetruria, ubi maritimis imperaverat copiis, magno cum honore arcessivit. Eique, ut Regiae classis collapsam instauraret disciplinam, atque ad exemplum Borboniarum, Gallicae nimirum, & Hispanicae, florentissimarum suam instrueret, a principio mandavit. Deinde a Secretis eum esse voluit, ut omnia, quae ad Regni litora, mareque ab incursionibus barbarorum muniendum pertinerent, unus supremo curaret arbitrio. Hic multa per annum meditatus, quod advena esset, ignarusque locorum, atque hominum, armorum, praesidiorumque, postquam exploravit omnia, immutatis aliis, aliis vero in meliorem ordinem redactis, novam navarchorum, trierarchorum, militum, ac navalium sociorum politiam instituit. Reliquum erat, ut classi providendae, jurique inter classiarios dicundo, dexteritate, atque integritate spectatum virum aliquem seligeret. Huic igitur muneri, Regio nomine, Maximilianum Murenam renunciavit an. MDCCLXXVIII.

XVI. Quo facto, si semper aliis in rebus bonorum laudes, Regiamque probationem cumulate retulit cumulatissimam tum meruit, cum virum prudentia, fide, iustitia, quanta quânta maxima praeditum (cujusmodi rei cariorem in dies annonam ubi-

ubique locorum, & gentium querimur) opportunissime expiscatus est; ac remotis Tribunis militum, quos ad hanc dignitatem promoveri usu invaluerat, Iurisperitum potius accivit. Sed non ita illis visum est, neque probari potuit, qui longa consuetudine moti usurpatum sibi munus rati sunt; veterique invidentia, atque odio in togatos homines abrepti literatum sibi praepositum esse virum aegro primum, deinde iniquo nimis animo tulerunt. Et, quod perridiculum magis est, ineptum ad id munus quemque praedicabant, qui non item miles, sive a classis rationibus per longam aetatem antea non fuisset. Quasi arcana ea scientia esset, de qua agebatur, & quasi non ea sit ubique ratio ingenuarum artium, ac literarum, ut, ubi idoneo suscipiantur ingenio, mirum quam versatile illud, ac docile efficiant, quantoque imbuant consilio. Verum haec dum ab aliis per insipientiam mussitantur, ab aliis non sine invidentis animi ferocitate diffamantur; interea ipse domum oblatas opes ingentiaque dona a multis delata, ut anteipsum solerat, constanti animo, nec sine humanitate rejiciebat.

XVII. Deinde explorare, circumagere, praeesse omnibus, invigilare, quo omnia sui muneris officia impleret; ne quid per imprudentiam auderet, committeretve aliis faciendum praeter instituta, aut contra rationem; tandemque ut, ne quid detrimenti res Regia pateretur, provideret. Item, ut classiariis, naviculatoribus, mercatoribus, sociisque navalibus, quos inter jus diceret, inviolata fide, ac iustitia singulari praesto esset. Quae nempe omnia, quantum ego conjicio, iis, qui a magnis ausis magno in vulgus animo efferuntur, eum minimi haberi,

&

& debitis fraudari honoribus posse persuaserunt? Quasi is, qui non externo muneris honore caperetur, dignitatem sibi creditam vel contumelia affici, vel solita, ac debita laude spoliari otiosus pateretur. Quare ei mandatos honores denegare navalis militiae primores, & duces coeperunt. Sed perperam; nulloque item consilio factum, quando temperantiam, frugique hominis virtutem, cum sui vilitate, atque ignavia componi posse arbitrati sunt. Contra is justam nominis famam, decretosque sibi tribui honores a navarchis praecipue, & trierarchis, copiarumque navalium ducibus & contendit, & decreto Regis obtinuit; eosque, quoad vixit, constantissime omnino retinuit. Donec anno fere post, cum ejus inspecta virtus cunctis fuisset, maxime vero, sine exemplo humanitas, ab iis etiam amari, & complecti vidimus, a quibus per invidiam, impudentiamque magnum adhuc invidiae bellum sustinuerat.

XVIII. Post haec, postque exantlatos nimios labores, valetudine aliquando adversa, quod multas noctes insomnes duceret, conflictari necesse fuit. Deinde dolore capitis in nervorum compage, non sine febri laborare, quae eum lectulo jacere primum adegit. Vix tamen morbo superato, a Rege sancitum audivimus, ut ad lites, controversias, capitalesque pariter causas inter eos dijudicandas, qui quoquo modo classi inservirent, Senatus constitueretur e selectioribus magistratibus, jurisconsultis, atque exercitus primoribus; cui, cum Praefecto Rei Maritimae, ipse a Secretis Regis Eques Acton interesset. Sed haec res non venit ad finem. Praeterea mandatum a Rege est, ut illius Senatus veluti particula aliquando congregaretur, ea praesertim

ſertim de cauſa ; ut Quaeſtoris Regiae claſſis rationibus referendis , judicioque ejus codicis accepti, & expenſi (a xxx. & amplius annis inviſi) locus eſſet ; quod ea res magnopere urgeret. Ad hunc itaque novum conſtituendum ſenatum is, cum Angelo Granito Marchione *Reg. Camerae Summariae* Praeſide , aliique minoris ſubſellii viri, qui a Fiſcalibus rationibus ſupputandis nomen acceperunt , deſignati ſunt ann. MDCCLXXX. quibus ut , pro arbitrio , idem ſtata tempora ad conveniendum , iiſdemque & privatam curiam ut indiceret , a Rege ſtatutum. Tunc maxime factum eſt, ut is, pro animi moderatione , qua nihil antiquius habuit, veteri amicitiae, ab ineunte aetate cum Granito ſuſceptae, quo aliquid daret, domum illius curiam decreverit, eidemque libens primas conceſſerit.

XIX. At non ita recte modeſtiam viri , qui pedanei ſunt *Reg. Cam. Summ.* ſenatus acceperunt; ob eamque cauſam, puto, immerentem honoris, inferioriſque eum ordinis rati , eidem in ſubſcribendis decretis imum debere locum relinqui contendebant. Quod nullo eum modo pati poſſe, ſi dignitatis famam pro aequo, ac bono tutam eſſe vellet, omnes boni conſenſientes adfirmarunt. Qua re quaeſita , ac multum per eos diſputata , quia ad Regem referre , neſcio quae ſophiſmata (ut Murena ſcriptum reliquit) auſi ſunt; conſilio Equitis Actonis prudentiſſimo , ipſe Praefectus Rei Maritimae, Praeſes etiam *Reg. Cam. Summ.* die II. Aug. ejuſdem anni a Rege creatus eſt : ea mente, ut modo poſitis de praeeminentia inter collegas diſputationibus cuncta rite, recteque procederent. Verum neque id conſilii ſatis eſſe ad invidiae peſtem, & ſimul-

multatis artificium tollendum exitus probavit. Namque, ut idem novo magistratu auctus est, novae simul controversiae oriri de loco, & gradus differentiis; ac magnis, superbissimisque animis disputari coeptum non tam a pedaneis, ut dictum est, illius senatus, quam a Praesidibus etiam adversus eum, quem parem, & collegam Rex modo salutaverat. Hinc saepe in scriptis inique de eo ad Regem referre; saepe declamare, atque accusare coram Equite Actone; disseminare multa in Foro; conviciari quoque: quasi privato nomini studens, ambitione elatus puerili Regia negotia vir optimus posthaberet.

XX. Itaque ad omnia haec is, quam firmissima opponere argumenta, quae in scriptis retulit ad Equitem Actonem. Neque aliud ei magis curae fuit, quam apertissimis ostendere rationibus, ab homine personam esse sejungendam; ut, quae muneris essent Regii, nemo hominum cum seipso confunderet. Nam ex quo Regi N. cordi insederat Praefecti Rei Maritimae dignitatem Gallicae praesertim classis instituto, ac regulis esse metiendam; late patens erat multa potius addi laudis, atque honoris posse, quam adimi ulla unquam ratione quirent: ut omitteret alia curiarum exempla, in quibus antea nullo magistratu insignes magistratibus spectatissimis Rex idem praefecerat; sicuti Curiae olim accidit, quae *Fundi Separationis* dicebatur. Sed jam optimus Eques Acton, ut nervos omnes disputationis injuriosae tandem incideret, ab Rege mandatum impetravit, quo novus senatus ad videndas Quaestoris Regiae classis rationes cum Praesidibus *Reg. Cam. Sum.* eo loci haberetur, ubi is ad classem negotia expediret. Idemque, ut primus

mus omnium in Regia domo assideret, Regioque nomine summis honoribus ab accedentibus quibuscumque magistratibus donandus esset. Quod die xxi. Jul. ejus anni, prolato Regio codicillo, sancitum fuit. Ceterum cum alia multa majoris, utique momenti in dies insurgerent ad classem spectantia, in causa fuere, cur senatus, de quo tanta inter pares discrepatio fuit, omnino siluerit.

XXI. Ad haec morbus, de quo diximus, in eo recruduit, per quem capite acriter laborare, spiritu ad omnem motum deficere, febrique ardentissima torqueri coepit; adeo, ut per dies aliquot de ejus vita desperatum a medicis sit. Verum ab amicis, quorum nunquam alia meliori turba stipatus optimus quisquam in civitate est, nihil cessatum, ut opportunis medicinis morbum ingruentem illico propellerent, ejusque primos impetus in tempore retunderent. Donec medicamentorum virtuti, & amicorum diligentiae virus aliquanto, ut apparebat, cessit; nec tamen liberum corpus liquit, etsi longa rusticatione adhibita; ubi ad animi oblectationem quam saepissime amicos convivio excipiebat. At, quae omnia susque, deque agit, mors dolere visa est, vindictamque brevi parare infestiorem. Nam ad vi. mens. tanquam ex insidiis, tam violenter aggressa est eum, ut brevissimo xxxvi. horarum spatio, nec ad deliberandum temporis copiam fecerit, neque ad medelam renovandam; namq. coalescens statim sanguis in eo computruit. Atque ita ex amicorum ulnis raptus est homo beneficentissimus, qui (si qua divinae mentis conjectura est) ad laudis, ac potentiae culmen pervenire debuit; ut bonos, literatosque viros Regio favore muniret, defensaretque ab injuriis, praesertim fortunae, de more, iniquissimae.

Elatus eſt, ſine pompa, ſodalitio Regio ducente funus, quod S. Aloyſii ad Palatium dicitur, in cujus ſacello fuit ſepultus die II. Jul. an. MDCCLXXXI.

XXII. Nunc de doctrina ejus, libriſque latum a doctis judicium pauca addere opus eſt. Is, ut Lamius ait in Ephemeridis literariis, illa uſus eſt indiligentia in ſcribendo, quam, qui vere philoſophi extiterint, plerumqne uſurparunt. Cum enim omnis cognitio multis ſit obſtricta difficultatibus, eaque ſit & in ipſis rebus obſcuritas, & in judiciis noſtris infirmitas (teſte Tullio), ut non ſine cauſa & doctiſſimi, & antiquiſſimi invenire ſe poſſe, quod cuperent, diffiſi ſint; evenit inde, ut qui exquirendi ſtudio defatigati ſunt, concitatoque gradu ad veritatem abripiuntur vix, aut ne vix quidem, continere ſe poſſint in expoliendis rebus, adhibendoque, cum aliquo verborum delectu eas dicendi regulas, quae metiantur argumenta, rationeſque animo velociter perceptas cum verbis ipſis. Satiſque, & abunde factum ab eis, ſi aliquo modo verba ad intima ſenſa animi referant, ac ſcribendo eliciant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut verum ſit, aut vero quam proxime accedat.

XXIII. Sunt tamen, qui affirmant eum plus etiam profiteri ſolitum ſe ſcire, quam ſciret: quod ad artem referunt quandam. Sed eam nemo eſt, meo quidem judicio, ſi exiſteret, qui eam tenere nollet, praeter unum ſapientem. Verum iſti nec cogitant tales eſſe, & profiteri de ſe multa fidenter poſſe eos, quorum multa vis virtutis, atque ingenii peregrinata abeſt a libris, civiumque ab oculis; niſi prius in adminiſtratione reipublicae, atque in bene, fideliterque tractandis negotiis publicis ſe explicet: eamque animo metiri licet eiſdem ipſis,

qui,

qui, ut ille ait, vulcanum in cornu ferunt, sibique lucent. Contra sunt, qui ei vitio vertunt, si quid aptius, meliusque ad jurisprudentiae naturalis disciplinam in scriptis retulit, id a Transalpinis juris publici auctoribus esse mutuatum. Sed hi prorsus ignorant bonarum artium altricem Italiam de uno Legum Rom. fonte aeque sibi, ac illis fundamenta cujuscumque juris suppeditasse; ut a rivis deducere necesse non fuerit, quod ab ultima origine derivatum fuit: etsi non iverim inficias novorum lectione librorum, per quos naturae, & gentium jus maximopere est auctum, multum profecisse, ut is suo loco profitetur. Ceterum libri ejus, quotquot edidit, id ostendunt, eum, ut antea dictum fuit, ad utilitatem justitiae defensandae, lectoribusque proponendae, quaecunque scripserit, eadem ad aetatis, & loci exigentiam aptare studuisse. Quod est ad veram laudem literati nominis, haud vero ad popularem auram captandam, scribendi consilium inire. De his cum brevi elogio morum, & integritatis ejus, habes romano ore scriptam ad eum epistolam Dominici Casari I. C. Bituntini, qui in ejus amicitia fuisse gloriatur.

XXIV. Ceteras animi dotes quid moror, cum sint etiam adhuc sui nominis invidi, a quibus postquam invideri ei non juvat, in caelum tollantur? Fuit enim domi castus, gravis, perpetuo innocens, in tempore pro facultatum suarum modulo liberalis. Fundos non raro divendidit, ut debitum suo muneri decus tum victus splendore, cum abstinentia conciliaret. Foris autem imperii diligens, servandaeque tenax disciplinae, vindexque acerrimus, si quis labefactaret. Ea justitia insuper, ac fide, ut nemo unus in civitate eum anteiret, pauci pares putare-

tarentur. Tandem, cum comitate, miram dignitatis gravitatem temperare usque consuevit. Nam, etsi divina prope constantia oppugnatum semper retinuit decorum, par tamen summis, facilis infimis evasit; ut ab iis etiam diligi obtineret, qui existimatione hominis non recta ad eum accesserint; nam bene aestimantes semper discesserunt. Ego vero hic duo afferam, quae nemo queat inficiari, ex quibus apparebit qualis, quotusque vir fuerit Maximilianus Murena.

XXV. Cum ejus cubicularius, quem domi puerum aluerat, cujusque operam fidelem apprime, & amoris plenam expertus fuerat, acerbo fato cessisset, superstitum curam liberorum, ut suorum, suscepit. Deinde, biennio ante obitum, ut qui nunquam maritali lectulo gavisus fuerat, suique progeniem nominis extinqui libens patiebatur, testamento eos haeredes, cum matre sua optima, non minus generosa, ac liberali femina, nominavit. Aliquando vero, cum indignantis Regis vindictam in offensorem suae dignitatis, Regiorumque mandatorum imminere exploraverit, precibus, ac consilio suo perfecit, ut adhortatione tantum humanissima ejus, qui Regis a Secretis est, in posterum ne peccaret ille cautum esset. Atque interrogatus, quare adversarii coercitionem prohiberet, dum alii saepe nominis, quod perosi sunt, vilitatem avide exquirunt; se esse contentum, respondit, si quisque in dignitate abstinenter deinceps, sine tamen famae detrimento, Regiis obtemperaret mandatis. Nam apportunam eam esse poenam non arbitrabatur, quae apud plebeculam vilescere faciat nomen hominis perinde, ac dignitatis; ex quo plerumque occasio fit rudibus, improbatisque hominibus, qui infra sunt,

ſunt, ut perturbatis ordinibus facile obſequium denegent ſuum.

XXVI. Amicos habuit de literatis viris praecipuos. Novit fere omnes, qui in urbe eſſent; externos etiam quamplures. Inter alios adamavit a juris univerſi, ac diplomaticae ſcientiae doctrina ſpectantiſſimum Dominicum Alphenum Varium; qui in coetibus Wilzeckianis, ubi meliores intervenirent, primas fere habuit, demeruitque maximi, ſine exemplo viri, tunc Caeſaris ad RR. NN. Oratoris gratiam: quare in Ticinenſem Academiam ad jus publicum edocendum, atque ad patriae noſtrae decus optimum, Caeſareo nomine, vocatus eſt. De aliis ſupervacaneum eſt dicere, quod longa res eſſet. Juvat tamen de Foro, quibuſcum conjunctiſſime vixit, duos nominare Dominicum Coſmium I. C. candore animi, & juris peritia clarum; itemque Nicol. Eugen. Angelium eruditione ſumma, atque elegantia cum morum, tum doctrinae inſignem: qui deinde Regio nomine inter Sacri Scrinii Libellenſes adſcitus eſt. Denique ex primo Civium ordine ſeligam nobilium par aeque, ac multa virtute celebratorum Equitem Innocentium Pignatellum, ac Franc. e Marani Principibus, Caracciolum, quos obſequio perinde, ac amore conſtantiſſime eſt proſecutus.

XXVII. Praeterea domi fuit tanta uſus temperantia, tantaque modeſtia, ut debitos plerumque honores reſpuere videretur; ſaltem verecundus pati, quos, ſi liceret, remiſiſſet. Miſeratione inſuper tanta, cum de egeſtate, atque inopia aliena ſermo eſſet, ut ad aegritudinem animi ſaepe victus diſceſſerit, & cohibere lacrymas interdum nequiret. Poſtremo foris is fuit Maximil. Murena, qui ſi glo-
riae

riae ſtudio, ſi dignitatum ſplendore captus unquam extitit, haec ipſa in merentium, bonorumque commodum verteret; quorum gratia, dicere ſolebat, unice expetendas eſſe opes ſapienti viro, proboque, unice dignitates conquirendas, quo homo homini Deum valeret ſe praeſtare. Ita nulla res tam ardua, nullum tam importunum unquam negotium fuit, quod pro amicis, neceſſariiſque agere non ſuſciperet. Nam per quam magnis, & honeſtis in rebus multum ejus animus in ſe fiduciae cum certa ſpe collocavit: ut, ſi cum poëta, in caelum ire juſſiſſes, magnitudine etiam animi confidenter ire pertentaſſet. Ut omittam, quas cum aulicorum aliquo, nobilibuſque viris aggredi contentiones non recuſaverit, quô tuendo ſaepe juri vilis etiam hominis occurreret, humanitati unice opitulaturus. Itaque non immerito liberali ſpecie natura factus: colore nitido: oculis ad hilaritatem, cum decentia compoſitis: nullo ſupercilio gravis: nulla geſtienſis laetitiae admixtione jucundus. Ut, qui deſiderio tam cari capitis tenemur, jure noſtro inſcribendum ſepulcro dederimus, quod ab antiquitate ultima proverbio increbuit:

HEV! QVANDO SECVLA DABVNT PAREM.